



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

XIII. De usuris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

riatur, carceri perpetuo ad perpetuam agendam pœnitentiam mancipatur, ut ab oculis populi tanti sceleris memoria removeatur⁹.

1) *Concil. Trid. Sess. 24. c. 8.*

2) *PETRUS DAMIAN. opusc. 12. in opusc. 18. c. 4 & dissert. 2.*

3) *c. 5. D. 32.* 4) *Sess. 20.*

5) *Pragmat. tit. 19. 20. & concordatum tit. 32.*

6) *Sess. 25. c. 14.* 7) *c. 5. D. 32.*

8) *c. ult. D. 61. c. 4. D. 81.* 9) *C. 4. X. de excess. præl. C. 13. X. de vit. & honest. cler.*



C A P. X I I I.
D E U S U R I S.

I.

Pro usu
rei fungi-
bilis ni-
hil,

RATICNE contrectationis & usurpationis rei alienæ, non furtum solum & spoliū damnat ecclesiæ; sed etiam usuras rejicit, jure civili paganis permittas, nec Judæis jure divino intuitu extraneorum interdictas¹, aut intuitu proximi prohibitas. Jam vero Christus, optimus legum interpret, non solum docuit, quemlibet hominem esse nostrum proximum²; sed etiam diserte præcepit, ut mutuū demus, nihil inde sperantes³. Eaque constans & perpetua ecclesiæ catholicæ sententia fuit, neque ex pecunia, neque ex ceteris rebus fungibilibus, quæ secundum quantitatem æstimantur, h. e. quæ pondere, numero & mensura constant, veluti frumento, vino &c. mutuo datis, quæstum esse faciendum⁴. Idque ex ea ratione, quia contractibus proposita est summa æqualitas, ut alter, quod ipsi expedit, obtineat

pro eo, quod alteri expedit. Quod videre est in permutationibus, ubi quod æqualitati deest, pecunia suppletur. Sic in emtione venditione id agitur, ut pretium merci quam potest fieri exactissime æquetur. Deinde quod lege humanitatis jubemur res innoxia humanitatis, quæ nobis non necessaria sunt, & alteri profunt, alteri concedere, ut, erranti viam monstrare, lumen accendere. Quod est fundamentum contractuum gratuitorum, ut mutui & depositi. Amico enim officium custodiendi ejus pecuniam eadem solertia, qua meam, detrectari non potest, & injustus foret, qui ob hoc officium præmium posceret. Pari ratione amico, de cujus candore persuasus sum, non deneganda est pecunia, mihi inutilis & ipsi necessaria, quam si stato tempore reddit, nihil amplius salvo jure petere possum.

- 1) *Lev. XXV. 36. 37.* 2) *Luc. X. 29.* 3) *Luc. VI. 34. 35.*
4) *Conc. Nicæn. c. 17. C. 14. q. 3. & 4. per tot.*

II. ALIUD dicendum de certis corporibus, veluti de utensilibus, de equo, domo, in quibus proprietas distinguitur ab usu, quem præstant salva substantia, licet deteriora fiant ^{I.}. Quæ licet gratis concedi possint; injustum tamen non est, pretium pro usu eorum postulare. Nam licet post usum corpus reddatur, non tamen prorsus idem redditur, quod datum est. Usu enim atteritur plus minusve pro usus diurnitate & modo; & illa attritio pretio æstimari potest ad obtinendam perfectam æqualitatem. Hæc est fundamentum pretii locationis, quod longa consuetudine æqualitatem il-

pro usu
rei non
fungibilis
aliquid
peti po-
test.

lam superare potest, quum multi sint, qui sæpe eodem tempore ejusdem rei usu opus habent. Sed qui ad annum mille mutuatur, & post annum mille restituit, exacte reddit, quod accepit, ut jure nihil amplius postulare queas.

1) S. THOM. 2. 2. q. 78. art. in corp.

pro usu
pecuniaz
meæ qui-
bus casu-
bus usu-
tas pete-
re pos-
sim?

III. DUO tamen sunt necessaria: primum, pecuniam tibi, quum mutuo dares, fuisse inutilem; alterum, ut stato tempore sit reddita. Nam si restitutio differtur, & ex mora tibi damnum enascitur; justum est, ut tibi id resarciatur, officiumque amico præstitum non noceat rei tuæ familiari. Et quoniam probatio & æstimatio ejus, quod interest, in foro externo difficilis est; leges civiles id semper, ubi debitor in mora est, præsumunt, & nostris in provinciis ad vicesimam reducunt annuam. Atque ex hoc fundamento in judiciis *interesse* adjudicatur postulantis¹. Similiter si pecunia mutuo data mihi necessaria vel utilis foret ad redimendum censum, ad annonam comparandam, quæ angustior post redditur; item si interea prædium magni proventus exiguo pretio emere potuissem; jure lucri cessantis & damni emergentis restitutionem postulo². Et quia mercatores continuo nummos in comparandis mercibus utiliter collocare possunt; licet eis *interesse*, h. e. pro lucro cessante aliquid petere: quod tamen certum & *radicatum* esse debet, veluti si arator sumeret frumentum ad sementem faciendum³.

1) Gloss. in c. 8. X. de usur.

2) Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1. & ibi Cajetan.

3) C. 6. & c. navig. in fin. X. de usur.

IV. PECUNIAE fructus permittitur porro, si contractus magis in societatem inclinat, quam in mutuum. Si duo in societatem negotiatoriam coeunt, quorum alter pecuniam confert, alter operam; justum est, ut lucrum æque ac damnum partiantur: quod est fundamentum *affecurationis* ac ceterorum contractuum maritimorum. Constituitur pecunia in lembum mercatorium, ea lege, ut lembo pereunte, pecunia amissa sit; lembo redeunte, ingens lucrum capiatur. In hoc negotio nullum mutuum: manet enim quisque pecuniæ suæ dominus. Est potius emtio spei, ut qui retis jactum emeret ¹.

Usuræ vitium non habent
i. societates mercatoriarum

1) l. 8. de contrah. emt.

V. ALIUS pecuniæ legitimus fructus nascitur e censuum constitutione, quam post longam fluctuationem adprobavit ecclesia ². Permissum enim est, prædium quingentorum annuorum vendere pro decies mille cum pacto de retrovendendo pro eodem pretio in perpetuum, ut tamen ad redemptionem cogi non possimus. Cur igitur non liceret decies mille accipere & annum censum quingentorum pendere, eaque de re creditori in fundo vel in aliis rebus, in quibus securus esse potest, hypothecam constituere? Atque hoc modo census constituuntur: quod negotium toto cælo differt a mutuo, qua fors alienatur in perpetuum, ita ut repeti nequeat, quoad creditor de census solutione securus est.

2. census annui,

1) C. 6. X. de usur. constit. Martin. V. & Calixti III. extrav. comm. de emtion. Constit. Pii V. 1564.

Z 4

3. reditus
vitalitii,

4. montes
pietatis?

VI. PERMISSI quoque sunt reditus ex contractu vitalitio, veluti si Nosocomio cui-dam do decies mille, ut quoad vixero mihi det mille annuos. Hoc enim est donatio sub con-ditione onerosa facta, vel, si mavis, venditio lucri fortuiti, quia contingere potest, ut po-stridie vivere desinam. Nova species similis acquæstus, quæ proxime ad usuras accedit, est institutum *montium pietatis*, qui vocantur ¹. Quod nomen inde habent, quod pauperes eo recurrere, necessitatibusque promptum auxi-lium arcessere possunt. Sunt autem montes pietatis emporia, in quibus iis, qui pignora adferunt, datur tantum pecuniæ, quantum postulant. Quæ si stato tempore reluunt, præ-ter pecuniam mutuo sumtam solvunt modicum pro labore scribendi, pignora custodiendi, proque scribarum salario. Si fallunt, pignora venduntur, pretiumque, deducto debito ac deductis deducendis, debitori restituitur. Ta-lia instituta in Italia ac in Belgio celebrantur. Paucis: contractus legibus principum Christia-norum adprobat, & longa consuetudine in-veterati, temere ac sine consideratione *utilita-tis publica* ac fundamentorum jurisprudentiæ, non sunt damnandi. Aufert homini suum, qui indebitum restitui postulat. Interim in foro externo in negotio pecuniario multa adpro-bantur, quæ in foro conscientiæ non consistunt. Nam leges civiles ad evitandum majus malum sæpe minus permittunt, & hominum consue-tudines vetustissimæ nullo tempore vincent ob-servantiam legis Dei ². In primis cautione opus in allegatione lucri cessantis & damni

emergentis: in cuius æstimatione facile fallimur, si non credimus dicto Apostoli: *qui divites fieri cupiunt, in varias tentationes incidunt*³, & Christo, dicenti, fieri non posse, ut Deo simul & Mammoni serviamus⁴. Hæc qui pensitat, in dubio suum potius jactabit, quam alieno damno ditescere cupiet.

1) *Bulla Leonis X. in concil. Later. sess. 20. inir.*

2) THOMAS. d. q. 78. ar. 1. ad 3.

3) 1. Tim. VI. 9. 4) Matth. VI. 24.

VII. PROPRIÆ sic dictæ usuræ sunt ^{usura proprie dictæ prohibita.} lucrum, quod ex mero mutuo capitur, ita ut post termini lapsum plus exigatur, quam mutuo datum est, sive ex chirographo, sive ex pignore, sive sub specie pœnæ, venditionis, hypothecæ, vel cujuscumque contractus liciti, nam modi fere usuras palliandi infiniti sunt. Fundamentum semper exquirendum, ac dispiendum est bona fide, num lucrum quæsitum sit, an damnum saltem evitare voluerimus. Usuræ itaque Christianis omnibus sunt prohibita. Concilium Lateranense III. usurarios sacramentis & ecclesiastica sepultura privandos, & oblationes eorum repudiandas esse censet¹. Concilium Lugdunense II. prohibet, ne eis hospitia præbeantur, ne ædes eis locentur². Ipsi non solum, sed & liberi ac heredes eorum tenentur usuras restituere³. Meliori jure severioribus pœnis castigantur clerici usurarii, qui præ ceteris Christianis turpe lucrum fugere, & humana spernere debent⁴. Concilium Nicænum⁵ ab officio eos removendos censet, quod pluribus canonibus repetitum⁶.

1) C. 3. X. de usur. C. 14. q. 5. 2) C. 1. de usur. in 6.

- 3) C. 14. q. 6. c. 9. 4) C. 14. q. 4. c. nec hoc.
5) C. 17. D. 46. 6) Dist. 47. per tot.

crimen
falsi.

VIII. CRIMEN falsi gliscere cœpit inter clericos, ex quo Roma arcessi cœperunt literæ gratiæ vel justitiæ. Quod apparet ex constitutionibus Innocentii III. præsertim ea, qua falsarum bullarum fabricatores excommunicandos censet, & eos, qui eas in subsidium vocant, e beneficiis exturbandos¹. Agentes in rebus, qui nunc instituti sunt, præstant, ut falsa difficulter & raro committi possint. De ceteris criminibus nihil singulare habent canones, Ecclesia enim non solum ea, quæ contra legem Dei militant; sed etiam ea, quæ legibus humanis prohibentur, condemnat: quia lege Dei jubemur sæculari potestati obtemperare².

- 1) C. 7. X. de crim. fals. 2) Rom. XIII. 1.

C A P. X I V.
DE DELICTO COMMUNI ET
CASU PRIVILEGIATO.

I.

Ecclesia
olim non
cognovit
de crimi-
nibus.

ECCLESIA principio solum delicta mere ecclesiastica judicavit, quia Christiani criminum publicorum exsortes erant. Si qui e nostris, inquit Tertullianus¹, carceribus vestris detinentur, Christiani solum esse accusantur; si vero alia de causa detinentur, non sunt amplius Christiani. Quod de Christianis generatim dicit, id multo justius de clericis